

BASINIO BASINI

CYRIS (500 vers)

## BASINIUS PARMENSIS PRO CYRIDE AMASIA GRATISSIMA

C\_1 v.1 En ego quem puerum divina tragoedia novit,  
 2 cogor ab imparibus carmina ferre modis.  
 3 Nec studium neque honos, famae nec summa voluntas  
 4 me miserum, sed enim scribere cogit Amor,  
 5 namque meos oculos una est furata puella,  
 6 quae tamen et mentem torserat ante meam.  
 7 Sed rudis et simplex et qui non talia noram,  
 8 nulla diu vitae proelia longa dabam.  
 9 Saepe rosas juveni misit mihi candida Cyris,  
 10 Cyris enim tali nomine dicta fuit.  
 11 Saepe illi teneras misi mea carmina musas  
 12 et saepe ah tenero lectus ab ore fui !  
 13 Et legor ; atque etiam repetit mea carmina Cyris,  
 14 Cyris Apollineos digna referre sonos :  
 15 arte vel ingenio vel pulchro corpore prima  
 16 exsuperat veras nobilitate deas.  
 17 O ego qualis eram ! Quis enim tacuisset amorem,  
 18 oscula, dii magni, cum mihi bina dedit ?  
 19 Et cuperem demens Mavortia bella referre,  
 20 cum placidos possem tutus adire locos ?  
 21 Jamque vale, Meleagre, vocat me nostra puella ;  
 22 fixisti horrendum cuspide tutus aprum.  
 23 Invenias alium tua qui tibi funera dicat,  
 24 ingenio satis est te incaluisse meo.  
 25 Me duce flava tuos novit Tegeaea furores,  
 26 exemplo perii qui miser inde tuo.  
 27 Nec minor in nobis furor est, si credis amanti,  
 28 quam fuit in vestro pectore caecus Amor.  
 29 Parce igitur pueroque puer ignosce poetae,  
 30 si linquo mediis nunc tua vela vadis.  
 31 Ad faciles elegos venio placidamque puellam ;  
 32 dii facerent possem nunc tua facta loqui !  
 33 Sed neque me possum neque te, Meleagre, juvare :  
 34 crescit in accenso pectore caecus Amor.  
 35 Et pereo, fateor, neque enim celare furorem  
 36 posse reor : medio stat mea flamma foro ;  
 37 namque senes puerique meam novere puellam,  
 38 et pater et genitrix totaque turba domus.

39 Nec tamen irascor pretium non vile secutus ;  
 40 Cyridos urbe sua noscor amator ego.  
 41 Forsitan et mores damnat Ferraria nostros,  
 42 quod cupiam totiens ire redire domum.  
 43 Me licet usque notet ; neque enim puto turpis haberi,  
 44 dum sit amor nostrae maxima causa notae.  
 45 Ergo ad vos faciles venio mea gaudia, versus,  
 46 qui trahitis claudo carmina nostra pede.

BASINIUS DE CYRIDE PUELLA SUA

C\_2 v.1 Lucifer Auroram sequitur, mea Musa poetas,  
 2 Cyris amatorem negligit ista suum.  
 3 Cyri, meum pectus geminatis ignibus urges,  
 4 cum legis arguta carmina voce mea.  
 5 Et legis et repetis quem non meminisse juvaret,  
 6 cum retrahis oculos, Cyri superba, tuos.  
 7 O fierem versus, fierem mea Musa, puella ;  
 8 quae repetis totiens carmina nostra forem.  
 9 At si non possem versus fore, candida Cyri,  
 10 essem purpurea charta recepta manu ;  
 11 meque tui filum rupissent ora labellis,  
 12 ora Dioneae digna vigore deae ;  
 13 me ceram premeres placida, mea gloria, palma,  
 14 quam modo portasset nostra tabella tibi :  
 15 omnia perpeterer fieri, modo carpere possem  
 16 contactus mollis purpureamque manum.  
 17 Invideo certe nostris, mihi crede, tabellis,  
 18 carmina quin etiam nostra beata reor.  
 19 O tibi me lectum mittat fortuna, puella,  
 20 infigatque animis pectora nostra tuis.  
 21 Rura colis : colimus tristem cum moenibus urbem,  
 22 rura vel a nostro non repetenda pede.  
 23 Dii me fecissent gracilem cum vitibus ulmum,  
 24 quae domibus ramos panderet alta tuis :  
 25 Cyri, meos caperes forsitan, mea cura, racemos  
 26 et premeret tenero me tua planta pede.  
 27 Felices essent volucres considerare tecum  
 28 et canerent tenues, te superante, sonos ;  
 29 forsitan et quamvis trepidas natura crearit,  
 30 ore tuo starent usque canentis aves.

BASINIUS DE CYRIDE PUELLA SUA SCRIBIT

C\_3 v.1 Usque miser tantos potero perferre labores ?  
 2 Janitor en moriar Cyridos ante fores.  
 3 Janua, quisquis is est qui te, durissima, claudit,  
 4 hic precor in gelida sit tumultatus aqua.  
 5 O pereat quisquis vetuit mihi gaudia custos  
 6 et sensit tacitos conscius ire pedes !  
 7 Ille precor pereat, qui lumina dira sinistris  
 8 ominibus nobis obvia nocte dedit.  
 9 Illi certet Amor, mittat sua tela Cupido,

10           illius ardentem pectora juxta faces.  
11       Hunc Venus et vetito semper comitetur Amore,  
12           hunc Amor invita matre furorigera.  
13       Huic Pater omnipotens caelo jaculetur ab alto,  
14           hunc Ditis et nigri regia caeca premat.  
15       Tolle faces, custos, lumen removete, ministri ;  
16           grandia non quaerit lumina nostra Venus.  
17       Parce, ferox, inquam, plenas augere lucernas ;  
18           ipsa domus nostro lumine majus habet.  
19       Mittite me, famuli ; dominae lustrabimus ignes.  
20           Haec superant nostras lumina vera faces.  
21       Illic sunt nitidi gemmae duo sidera ocelli,  
22           ardentes fronti quos mea Cyris habet.  
23       Illic purpureae fulgent duo labra columbae  
24           inque sinu geminum candida portat ebur.  
25       Illi colla nitent prima spectanda juventa,  
26           illic auratae gaudia nostra comae,  
27       illic rara manus, quali Calydonius heros  
28           filius exigui Tydeos arma tulit,  
29       cum Venus infelix magnum conscendit Olympum  
30           idque Dionaeo conqueritur gremio.  
31       Cetera dii facerent possem laudare ! Nec ulla  
32           pars foret ingenio non manifesta meo.  
33       Hei mihi, non gemitus prosunt nec carmen amanti !  
34           Regnat in attonito pectore caecus Amor.  
35       Janua nec nostris aperitur luctibus ista,  
36           nec mihi sunt vires, nec mihi dura manus.  
37       Non ego sum pastor, non sum fabricator aratri ;  
38           non claudio niveas vimine pastor oves ;  
39       non ego cum densis fabricata mapalia virgis  
40           composui aut virides per juga summa casas.  
41       Haec manus aeternum solum tractavit Homerum  
42           Virgiliumque simul Pieridasque deas ;  
43       haec manus Oenidem primis mihi lusit ab annis,  
44           haec mea composuit te, Meleagre, manus.  
45       Atque utinam pastor, possem modo frangere postes,  
46           essem ; nam dura est percutienda manu.  
47       Sed mea Cyris adest ; strepitum nam conscius hausit.  
48           Exscreat et tacito me vocat illa sono.  
49       Frangite, dii, postes duros, miserescite vestri  
50           vatis, qui totiens numina vestra canit.  
51       Nec fuerim ingratus : dicam fera bella gigantum  
52           victoresque deos magnanimumque Jovem ;  
53       narrabo laudes, superi, per carmina vestras,  
54           Pelion et quantus, quantus Olympus erit,  
55       Terrigenasque acies caelo ut turbastis ab alto  
56           Enceladumque trucem, letiferumque solum.  
57       Atqui alios fratres claros cecinisse poetas  
58           quot memini sanctis proelia carminibus !  
59       Vos tamen ingrati quondam sine fine fuistis,  
60           Orpheia cum Stygia deseruistis aqua.  
61       Ille suam Eurydicem superas revocabat ad auras  
62           lege datam, voti jam potis ille sui.  
63       Illum caecus Amor miseram post terga videntem  
64           decepit multa protinus ipse via.

65 Nec quia cantarat Phlegraeae proelia turbae  
 66 victoresque deos magnanimumque Jovem,  
 67 caelicolae ingrati (veniam concedite), justa  
 68 immerito juveni mente dedistis opem.  
 69 Ergo ego purpureae dicam fera castra puellae  
 70 virgineumque decus purpureasque genas ;  
 71 qualis erat, pastor Graia quam vexit ab urbe,  
 72 Ledaeaeque manus Tyndareumque genus.

BASINIUS ITURUS MUTINAM REVOCAT SENTENTIAM

C\_4 v.1 Tundite, Pierides, maerentia pectora palmis,  
 2 pectora, Pierides, tundite verberibus.  
 3 Vos Mutinam petitis, Mutinae venietis ad urbem.  
 4 Cyrida quis placidam linqere possit amans ?  
 5 Illa colit vates, illi sunt carmina cordi :  
 6 quis Mutinae nobis Cyridos addat opes ?  
 7 Illa mihi dederat sacros legisse poetas,  
 8 illa mihi magni carmina Maeonii.  
 9 Tene meae linqent, felix Ferraria, Musae ?  
 10 Ah poteris tantum, dire, videre nefas ?  
 11 Sunt mihi discipuli parvae nova turba catervae,  
 12 quos ferar in mediis deseruisse vadis.  
 13 Est mihi purpurea Cyris spectanda juventa,  
 14 quam dicar medio deseruisse freto.  
 15 Sed potius pereant auri formosa metalla  
 16 et Tagus et quicquid caerula lympha vehit ;  
 17 et potius veprum baccas rubicundaque myrta  
 18 pascar et e ramis poma legenda traham,  
 19 quam te destituam, felix Ferraria, quam te,  
 20 Cyri, ferar tantum linqere posse bonum.  
 21 Vos mihi divitias, Musae, dare magna potestis  
 22 praemia, muneribus ne modo cedat amor ;  
 23 vos mihi fortunas Priami, mihi Caesaris arma,  
 24 dummodo vos habeam, dedere, Pierides.  
 25 Dedite fortunas Priami, date Caesaris arma  
 26 vos aliis : niveam Cyrida ferte mihi.  
 27 Illa mihi Priami gazae vel Caesaris arma,  
 28 illa mihi cunctis anteferenda bonis,  
 29 illa est, si nescis, ego cujus jussa secutus  
 30 et patriam et patrios deserui thalamos.  
 31 Dardanius pastor Graias pervenit ad urbes,  
 32 est Helene tantum diva secuta virum.  
 33 Me quoque (si fas est) etiam mea cara sequetur  
 34 Cyris : et arma ferox Parma beata gerit,  
 35 et gerit et vires dives mea terra virorum,  
 36 extulit ingentes altera Roma viros.  
 37 Verum ego (quid refert ? ) non sum Priameius heros,  
 38 illa tamen magni credita nata Jovis ;  
 39 sed neque Dardanius pastor mea carmina novit :  
 40 barbarus, at certe terra Latina mea est ;  
 41 Graiorumque puer novi monumenta virorum,  
 42 meque suum natum dulcis Homerus alit.  
 43 Hanc ego si rapiam, si se mea Parma videbit,  
 44 addiscet magni carmina Maeonii,

45 et mecum poterit nostros cantare poetas,  
 46 Virgilius qualis, qualis Homerus erit.  
 47 Forsitan et quondam cum carmina sancta legemus,  
 48 jungemus sanctis oscula carminibus.  
 49 Sed capitis poenam subeunt qui talia furta  
 50 tentarunt : peream dummodo Cyrin amem.  
 51 Cyrida amem moriens, moriens dum Cyrida flentem  
 52 aspiciam nostris incubuisse genis  
 53 et lacrimas fundat morientia in ora tepentes  
 54 et teneam niveam mortuus ore manum.

BASINIUS DE CYRIDE AMICA CONQUERITUR

C\_5 v.1 Ecquis adest videat miserum qui luget amorem,  
 2 ardet et attonitus protinus usque malis ?  
 3 Ille ego sum juvenis, quem diis genuere parentes  
 4 invitis olim numinibusque malis :  
 5 ille ego sum, rapidae feriunt cui viscera flammae,  
 6 cui dolor et toto pectore crescit amor,  
 7 nec modus ullus adest. Utinam meliora sequutus !  
 8 Vestra sequi possem numina, Pierides.  
 9 Vos procul a patria magnam duxistis in urbem  
 10 et misero tantas composuistis opes,  
 11 praeposui patriae quondam cum Cyrida nostrae  
 12 atque Lares primos Basiniamque domum,  
 13 quom Tiresiacae quondam de litore Mantus  
 14 accepit nostro Parma beata Lares.  
 15 Ille ego, quem patriae docuerunt carmina Musae,  
 16 ubera cui tenero Mantua sancta dedit.  
 17 Haec mihi prima fuit radix generisque domusque,  
 18 hac fuit e patria Basiniana domus.  
 19 At mihi Parmensi felix natalis in agro  
 20 praebuit infantes tempora prima dies.  
 21 Me juvenem a patria felix Ferraria coepit,  
 22 incolumem custos quem mea Cyris habet :  
 23 hanc colit, hanc habitat nivea formosa juventa,  
 24 hanc mihi difficili foedere junxit amor.  
 25 Illam ego praeposui gaxis, mihi crede, paternis,  
 26 haec pater, haec genitrix, haec mihi frater erit,  
 27 haec patria et multi quondam mea numina amici,  
 28 haec mihi perpetuo tempore poena fuit.  
 29 Et fuit atque iterum torquet mea pectora Cyris ;  
 30 Non sinit arbitrium saeva puella meum.  
 31 Illius et mores, illius tempora demens  
 32 usque sequar tristi pectore oportet ego.  
 33 Quicquid et illa jubet, quamvis lasciva puella est,  
 34 efficio amota protinus ipse mora :  
 35 tantos fecit amor furibundo in corde furores  
 36 tantaque sunt nostrae gaudia nequitiae.  
 37 Cedite, Pierides, si non et amare jubetis,  
 38 arma precor cupidos et canat alter equos ;  
 39 sit mihi purpureae faciem vidisse puellae,  
 40 sit mihi fas niveas posse videre genas.  
 41 Ipse dolore gravi malo sine fine teneri,

42           quam mihi sit misero pectore nullus amor.  
 43       Alter opes auri et magnos componat acervos,  
 44           at teneam niveam Cyrida pauper ego.

BASINIUS AD PUELLAM NUBENTEM SENI

C\_6    v.1    Vidi quae fuerat quondam formosa puella  
           2           turpiter obscaeno conseruisse viro.  
           3       Fama tamen nostras miserabilis impulit aures,  
           4           te nunc decrepito nubere velle seni.  
           5       Illum ego, crede mihi, novi, pulcherrima Cyri,  
           6           ulcera cui miseris cruribus ampla patent ;  
           7       illum ego, crede mihi, novi delphina natantem,  
           8           dignaque cui sceptro tergora Narritio.  
           9       Hunc si vidisset quondam Laertius heros,  
 10           Thersitem Phrygia crederet ire via ;  
 11       hunc quoque deformem magnus formasset Homerus,  
 12           monstraque de misero diceret ille viro.  
 13       Sed tibi divitias curae fore credidit : at tu  
 14           infelix magni divitis uxor eris.  
 15       Divitiae pereunt et opes labuntur inanes ;  
 16           vivit in aeternum gloria carminibus.  
 17       Cynthia lascivi vivit formosa Properti  
 18           carmine, carminibus digna puella suis ;  
 19       Galli carminibus vivit formosa Lycoris,  
 20           Delia carminibus, clare Tibulle, tuis.  
 21       Forsitan et nostris fueras cantanda tabellis,  
 22           si non acciperes, bella puella, senem.

BASINIUS CONGRATULATUR DE IANUA PUELLAE APERTA

C\_7    v.1    Candidus iste dies, lux candida sancta fuisti,  
           2           quae dabis immensas tot mihi delicias.  
           3       Dicite natalesque duos mihi bina fuisse  
           4           saecula : Nestoreos lux trahit ista dies.  
           5       Janua victa patet precibus laxata poetae,  
           6           janua jam vacuas praebuit ista vias.  
           7       Janua, aperta precor longos moreris in annos  
           8           et molli semper cardine versa sonos.  
           9       Dii tibi fortunent dominae de prole nepotes  
 10           et videas generis pignora clara sui.  
 11       Dii tibi perpetuum nomen, mea janua, duint,  
 12           nec tibi caerulea contonet imber aqua,  
 13       nec tibi limosos ducat via sordida rivos,  
 14           terreat horrendus nec tua claustra canis.  
 15       Sis aeterna precor et Cyrida semper amantem  
 16           custodi atque aliis gaudia nostra nega.

BASINIUS OBSESSUS AB HOSTIBUS IN GUARDASIONE CASTELLO

C\_8    v.1    Pisce super curvo vectus cantabat Arion,  
           2           Daedalus in clausa carmina turre dabat,

3 saepe inter cantus flevit Tirynthius heros,  
 4 cum cuperet forti vincere monstra manu,  
 5 inter et errores varios cantavit Ulysses  
 6 et moriens tremulo gutture cantat olor.  
 7 Sic ego qui trepidus saevis circunsonor armis,  
 8 qui Rubeo infensus Tertius hoste premor,  
 9 non possum faciles animo depellere versus,  
 10 musa vel attonitos nunc sinit esse viros.  
 11 Oppida me retinent, regnat quibus inclytus armis  
 12 fortis Othoniades : Guardasione moror.  
 13 Tertia progenies, magnum quae duxit Othonem,  
 14 cum Rubeis etiam bella nefanda gerit.  
 15 Pierides tecum, tecum formosus Apollo,  
 16 Hieronyme, Aoniam concitet usque lyram.  
 17 Te mea Cyris amet : jam jam Mavortius armis  
 18 ipse sequar trepidos, Marte tonante, viros.  
 19 Stentora, si redeant Trojani tempora belli,  
 20 Stentora voce mea vincere nitar ego.  
 21 Voce mea nec opus fuerit : majora parantur  
 22 proelia, majus agit nostra carina fretum.  
 23 Mille tonant subitis lapidum tormenta ruinis,  
 24 majus onus quam quod Jupiter ipse quatit.  
 25 Dant strepitum montes, toto tonat aethere murmur,  
 26 flammaque sulphureos tollit ad astra globos.  
 27 Nec deficit curvo Paridi qui se offerat arcu  
 28 sive tibi, frater, sive Diana, tibi.  
 29 Pandare, Tydides leto quem affecit amaro,  
 30 si redeas, iterum, Pandare, victus eris.  
 31 Quamvis Atridae jaculum, suadente Minerva,  
 32 torsisti, Lycios non aditure Lares,  
 33 huc tu si redeas, quamvis Calydonius heros  
 34 ingemit in tergo tela fuisse suo,  
 35 invenies etiam qui te fortissime vincat  
 36 Pandare ; vincetur Phoebus et ipse Paris.  
 37 Dii facerent tecum tua me Ferraria haberet  
 38 incolumem, custos quam mea Cyris habet.  
 39 Illic pacis honos ; nam quae discordia surgit,  
 40 ille pater patriae si Leonellus adest ?  
 41 Plura tibi canerem, pater o memorande, sed ingens  
 42 me labor indomiti Martis ad arma vocat.  
 43 Jamque vale et totis cupias mihi Cyrida votis  
 44 qualibet optatam nocte silente dari.

#### BASINIUS DE PUELLA SUA CYRIDE

C\_9 v.1 Si quis erit placidam cupiens retinere puellam,  
 2 duxerit arbitrio tempora nulla suo.  
 3 Sit nive cana licet gelidis quoque terra pruinis,  
 4 me faciat nudo currere nympa pede ;  
 5 sint licet aestivi ferventia tempora Cancri,  
 6 perpetiarque diem difficilemque sitim.  
 7 Jusserit : Eoos migrem peregrinus ad Indos,  
 8 nigra suas nobis India monstret opes.  
 9 Hanc propter Stygias possim penetrare cavernas,

10 hanc propter quoniam sunt mihi regna Jovis.  
11 Propter Penelopem stolidus simulatus Ulysses  
12 vix potuit carum linguere Telemachum.  
13 Et mihi cara fuit semper mea candida Cyris,  
14 Naritio quantum Penelopea viro.  
15 Nunc Circe misero quondam torquebat amore.  
16 Nulla nisi in nostro Cyris habenda sinu est.  
17 Hanc mihi servet amor, neque enim parere recuso :  
18 Alcides Iolae paruit ipse suae ;  
19 Pelides etiam, rapta Briseide, flevit ;  
20 flevit et Atrides ; flevit et Antilochus ;  
21 flere Menoetiades magnum miratus Achillem,  
22 terribilem Atridae terribilemque suis.  
23 Ah pereat quisquis cara maerente puella  
24 gaudeat et Stygiis ille vagetur aquis !  
25 Portitor hunc numquam solita vectare carina  
26 jam velit, injusto dedere vela viro.  
27 Ah quicumque subit placidae mandata puellae,  
28 gestiat is campos ductus ad Elysios.  
29 Hunc volucres circum tenues per gramina cantus  
30 ingement, placidos voce sequente sonos ;  
31 hunc casiae flores umbra amplectantur odora  
32 ambrosiaequae liquor nectareaeque dapes.  
33 Nec bibat obscuros Lethaeo in gurgite fluctus,  
34 nec possit dominae non meminisse suae.  
35 Illum mollis amor sacro demissus Olympo  
36 molliat in tenero perfoveatque sinu ;  
37 illi jungat amor nitidam sine fine puellam,  
38 quae teneat molli candida membra sinu.  
39 Hos circum properent laetae cantare choreae,  
40 hos circum pueri verba beata canant ;  
41 horum corda juvent citharae vocesque canorae,  
42 hos juvet et placido Calliopea choro ;  
43 et geminent solitum, digito redeunte, tenorem  
44 Pierides circum Pieridumque phalanx.  
45 His precor exsequiis vita defunctus et ipsos  
46 ipse libens olim ducar ad Elysios,  
47 purpureosque novo videam de lumine soles  
48 divinasque dapes purpureosque toros.  
49 Sed gravis interea, gravis, o removete furorem,  
50 ignis inest venis ossa per ima meis ;  
51 nec mihi cura meis relevatur versibus : <in me>  
52 crudeles vibrat nostra puella faces.  
53 Vibrat : io remove miserandas pectore flammis,  
54 pectore de tepido tolle, puella, faces.  
55 Sive venis sumptis, alacris pulcherrima, cois,  
56 tunc te purpurea qua decet ire rogat ;  
57 seu tu punicea graderis, mea gloria, palla,  
58 tunc te puniceis Africa tinxit aquis ;  
59 purpura si teneros textit pretiosa lacertos,  
60 ipsa tibi vestes tunc dedit alta Tyros ;  
61 aurea si junxit crispantes fibula vestes,  
62 Phoebus in egregio pectore fixus erit.  
63 Quicquid agis laudo : laudes minuuntur in isto  
64 corpore (da veniam, fama maligna) tuo.



65 Nam neque, si quisquam cupiat bona vestra probare,  
 66 deficient laudes in sua verba tuae.  
 67 Vix ego, crede mihi, possum bona tanta putare,  
 68 ni credam in veras ire, puella, deas.  
 69 Nam neque mortalis facies tibi : non humanae  
 70 sunt voces certe, candida Cyri, tuae.  
 71 Aut Venus aut Phoebi tibi enim germana decorem  
 72 praebuit et Charites te docuere suae.  
 73 Castalides nympae sacros tibi nempe liquores  
 74 scilicet et placidam contribuere lyram ;  
 75 nec tibi certarit miris pulcherrima Pallas  
 76 artibus ; ingenio victa sit illa tuo.  
 77 Sive colum minuis, lanas tenuisse decorum est ;  
 78 sive capis molli candida pensa manu,  
 79 pensa manus niveis superant candoribus alba,  
 80 vellera deficiunt victa colore tuo.  
 81 Seu tu purpureas texis, pulcherrima, vestes,  
 82 vincitur a vultu purpura purpureo ;  
 83 si spectes gemmas, gemmae vincuntur ocellis ;  
 84 sive comas pectis, tunc coma vincit ebur ;  
 85 denique si solem cernas, pulcherrima Cyri,  
 86 candidus inspecta non micat ipse dies.  
 87 Tempa Jovis geminis <istis si> intraveris ingens  
 88 lampadibus fulgor vincitur ecce Jovis ;  
 89 templa sacerdotes geminatis vocibus implent,  
 90 aspiciunt oculos si modo, Cyri, tuos.  
 91 Inde domum repetens, mirantes agmine turbas  
 92 cogis ab arbitrio cedere paene suo.  
 93 Atque revertenti ridet tibi janua soli,  
 94 et domus et paries, mater et ipsa soror  
 95 et pater et famuli : quis enim non gaudet, amanti  
 96 cum retrahis oculos, Cyri superba, tuos ?

BASINIUS DE CYRIDE SUA PULCHERRIMA

C\_10 v.1 Non sunt Calliopes, non sunt mihi numina Phoebi,  
 2 ingenuus nobis carmina dictat Amor.  
 3 Jussit Amor vatem placidam cantare puellam ;  
 4 carmine enim tali gloria dulcis erit.  
 5 Alter cantet equos crepitantiaque incitet arma,  
 6 at cantem teneram Cyrida solus ego.  
 7 Illius imperio nigros comitabor ad Indos,  
 8 illius imperiis ultima Bactra sequar.  
 9 Divitias Cyri Persae aspernabimur omnes  
 10 Medorumque cibos Astyagisque dapes.  
 11 Dives ero ; et Persas silvis imitabor opacis  
 12 et capiam valida fortia gerra manu :  
 13 gerra quibus valeam saltus lustrare ferarum  
 14 venatusque novos montivagasque feras.  
 15 Cedite, Pierides, si non et amare jubetis,  
 16 sit mihi perpetuum candida Cyris opus.  
 17 Sic comes in silvis periiit formosus Adonis,  
 18 dum spernit dominae jussa ferenda suae.  
 19 Et mecum veniens moneat me sola puella ;

20 me jubeat celeres illa ferire feras  
 21 et mecum molli cupiat requiescere in umbra  
 22 et dare parcenti vulnera dente mihi.  
 23 Sim delinitus quotiens volet illa puella,  
 24 sim Cinara qualis natus et ipse fuit,  
 25 dummodo non peream furibundi dentibus apri.  
 26 Ah timeo nostris omen inesse malis  
 27 et timeo menti noceat ne Cyridos omen,  
 28 quamvis illa meum damnet acerba caput.  
 29 Damnat enim et longos gaudet renovare dolores,  
 30 gaudet et irato saeva puella viro.  
 31 Gaudeat usque precor neque enim maerore teneri  
 32 posse reor, miserum dummodo Cyris amet.  
 33 Cyris amet miserum, misero dum Cyris amanti  
 34 sit comes in nostras usque puella vias.  
 35 Illa Atalanta mihi sola est, Calydonius ipse.  
 36 Sum juvenis, juveni parce, puella, tuo ;  
 37 parce tuo Pelopi, flava precor Hippodamia,  
 38 si quaeris, feret hic grande lacertus ebur.  
 39 Nec colis, agrestis, magni tibi carmen Homeri ?  
 40 Otia sunt magnis insidiosa viris.

BASINIUS DE CYRIDE PUELLA

C\_11 v.1 Munera quanta bonis, meritis quam saeva minetur  
 2 Jupiter omnipotens, scire puella potes.  
 3 Perfida si memori repetis tibi pectore forte,  
 4 non capies siccis carmina nostra genis.  
 5 Nam mihi pollicita es speratae gaudia noctis  
 6 et promissa negas gaudia tanta mihi.  
 7 Usque negas : pereamque miser ; dum Cyris amantem  
 8 deserit, infernos cogor adire lacus.  
 9 Tune fidem demens ullis corrumpere donis  
 10 ausaque legitimum fallere posse virum ?  
 11 Mille ego cui dederas quondam promissa roganti,  
 12 decipior tantis, saeva puella, dolis ?  
 13 Vel tibi sunt animo tantum formosa metalla,  
 14 perdere quis poteris nocte dieque fidem ?  
 15 Sed pereant gemmae, dentes perdantur eburni  
 16 et cedat nostris purpura carminibus.  
 17 Ut me decipias, grandes tamen ipsa triumphos,  
 18 grandia nec niveis facta parabis equis.  
 19 Latona genitum deceptum regia virgo  
 20 deseruit votis te quoque, Phoebe, tuis.  
 21 Non tamen idcirco fatum cum fraude canebat  
 22 Cassandra aeterno credita vana deo.

BASINIUS AD EIUS PUELLAM CYRIDEM

C\_12 v.1 Ite, mei versus, felicis ad ostia nymphae  
 2 illius et dominae carmina ferte meae ;  
 3 ferte precor placidosque sinus intrate legentis.  
 4 I, felix tenera charta recepta manu.

5 Vos dominae petitis felicia pectora versus,  
6 vos capiet tepido protinus illa sinu.  
7 At vos purpureae tangent duo labra columbae,  
8 aut geminum vobis ubera tradet ebur.  
9 Et cum formosae capiet manus ipsa puellae,  
10 forsitan et placido dixerit ista sono :  
11 "Cur non vobiscum venit mea vita, tabella,  
12 ille meum solus qui rapit arbitrium ? "  
13 O fierem versus, fierem mea charta, tabella,  
14 ingredererque tuos, littera parva, sinus !